C VIRES EX RECENTIORIBVS.

Pimpinellæ ſuccus bibitur contra ſerpentium morſus. Ex uino pota calculos terit. Stranguriã etiam decocta leuat. Succus eius potus omne uenenum diſcutit. Aqua eius ignis ui expreſſa oculorũ caliginem diſcutit. Hæ ſunt facultates quas illi antiquus herbarius tribuit. Alij tradunt ſuccum eiuſdem faciei maculas detergere poſſe. Eſt autem radicis Pimpinellæ tum uſus præcipuus, quum ſæuientis populatim peſtilentiæ contagia arcere conamur: unicè enim uenenis adũerſatur, & corpora ab hac lue uindicat, ut adfirmant, ſi tantum in ore teneatur. Quod certè non poteſt ea quam hodie Sanguiſorbã uocant herba. Quare mirum in modũ errant, qui hanc cum Pimpinella confundunt, ut fuſius ſuo dicemus loco.

Sanguiſorba nõ eſt Pimpinella.

DE PASTORIA BVRSA. CAP. CCXXXII.

NOMINA.

Burſa aut pera paſtoris cur dicta.

QVO nomine herba quam uulgus Paſtoriam burſam appellat græcis & latinis medicis dicta ſit, ignorare me ingenuè fateor. Sunt qui peram etiam paſtoris nominent, à folliculis in exiguæ uulgæ ſimilitudinem compreſsis, turbinata cordis effigie. Germanis Deſchelkraut & Hirtenſeckel uocatur.

FORMA.

Herba raro pede altior, ramoſa, Erucæ folia habens, at minora. Flores exiguos, candidos. Semen in uulgis minutum & nigrum. Radicem candicantẽ & oblongã.

LOCVS.

Naſcitur propter uias paſsim, & in parietinis.

D

TEMPVS.

Iunio & Iulio menſibus legitur.

TEMPERAMENTVM.

Refrigerat & adſtringit.

VIRES EX RECENTIORIBVS.

Ex aceto trita collectionum inflammationes refrigerat, ac eò confluentes humores cohibet. Imponitur ſacris ignibus, & quibus ſtomachus æſtuat. Succus eius purulentis auribus infunditur. Cruenta ſanat uulnera. Medetur dyſentericis, ſanguinem excreantibus, necq; non muliebri profluuio. Manuſcriptus herbarius addit hanc ſanguinem è naribus profluentem ſiſtere mirificè poſſe. Herbam quoque manu tantum geſtatam, mox idem efficere tradit. Quid multa? mirè efficax eſt in comprimendis omnibus ſanguinis eruptionibus.

DE PEDE

PASTORIA
BVRSA.